Biblioteca estense universitaria
Largo S. Agostino 337
I-41121 Modena MO
Tel ++39 + 59 222248
Fax ++39 +59 230195
b-este@beniculturali.it

bibliotecaestense.beniculturali.it

41.a.16

LANGE, JOACHIM

D. Ioachimi Langii ... Hermeneutica sacra, exhibens primum genuinae interpretationis leges de sensu litterali et emphatico investigando; deinde idiomata sermonis mosaici, davidici, et prophetici, nec non apostolici et apocalyptici ...

Fritsch, Halle 1733

Img: BEU, 2013

Terms of use
Using texts and images of the Estense Library is free - within the CC license terms - only for personal, private and non commercial use.
In the case of a non commercial, public use, their source must be cited, linking to the homepage of this site.
For any different purposes, or for getting higher resolution images, please follow the guidelines in the Reproductions page of the website, and/or write to b-este.urp@beniculturali.it.
Creative Commons License
This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-NoDerivs 3.0 Italy License
http://creativecommons.org/licenses/by-nc-nd/3.0/it/deed.en

D. IOACHIMI LANGII
S. THEOL. IN ACAD. HAL. PROF. ORD.

HERMENEVTICA SACRA,

EXHIBENS
PRIMVM GENVINÆ INTERPRETATIONIS LEGES
DE
SENSV LITTERALI
ET
EMPHATICO
INVESTIGANDO;
DEINDE
IDIOMATA SERMONIS MOSAICI,
DAVIDICI, ET PROPHETICI;
NEC NON
APOSTOLICI ET APOCALYPTICI:
CVM VBERIORI IPSIVS PRAXEOS EXEGETICÆ APPENDICE.



BIBLIOTECA ESTENSE
MODENA

HALÆ,
IOH. ERN. FRITSCHII.
ANNO MDCCXXXIII.

APHORISMI GENERALIORES DE BONI INTERPRETIS HABILITATE ET OFFICIO, NEC NON DE SCRIPTVRAE SENSV.

APHORISMVS I. DE INTERPRETIS HABILITATE.

SCripturam ſacram interpretaturus vere regenitus ſit, oportet, & inſtructus uti dotibus naturæ & gratiæ, ſic etiam neceſſariis ſubſidiis notitiæ in theologia thetica, nec non in philologia ac hiſtoria & geographia ſacra, inprimis vero in archæologia ac typologia.

Illuſtratio.

§. I.

Quandoquidem Scriptura ſacra, in quantum eſt ſermo, proprietates cum quolibet recte compoſito ſermone ſcripto communes habet, nimirum grammaticas, rhetoricas, logicas; tanta ſenſus litteralis eſt evidentia, ut is omnino etiam homini extra ſtatum gratiæ adhuc conſtituto, ſit obvius & pateat; inprimis ſi is non ſolum naturæ dotibus, ſed etiam uberiori ſubſidiorum apparatu ſit inſtru-

ctus. Hæc vero habilitas mere naturalis nequaquam sufficit; sed ejus etiam, quæ e principio gratiæ & spiritualis unctionis obtinetur, summa est necessitas & usus longe amplissimus. Cum enim extra istum ordinem nulla detur genuina hominis illuminatio, nec istud *δοκιμασίας* charisma, quod Paulus Rom. XII, 1. 2. ex uberiori renovationis praxi derivat; facile potest colligi, sine isto mentem oppletam manere tenebris, ideoque ad dijudicationem rerum divinarum, inprimis earum, quæ ad regni Dei interiora pertinent, nec sine proprio experientiæ subsidio cognosci digne possunt, longe esse ineptissimam.

§. II.

Status gratiæ quanta sit necessitas in bono interprete, speciatim *affectus* investigandi ratio abunde declarat. Etenim, qui sine affectus, quo quid in sacris actum, aut dictum est, consideratione textum meditationi suæ subjicit & interpretatur, is cibum mandit sine gustu, eumque aliis gustandum præbet sine necessario salis condimento. Iam vero homo *ἀμελανόητος* omnis spiritualis affectus ipse plane est expers ac ignarus: atque ita caret hoc præcipuo bonæ interpretationis principio. Et cum e contrario is totus eo ducatur affectu, quem Paulus Rom. VIII, 5. *seqq.* vocat *φρόνημα τῆς σαρκὸς, inimicitiam adversus Deum*, hoc ipsum in interpretatione sequitur, in hermeneutica faciens cauponariam, *τὸν λόγον τȣ̃ Θεȣ̃ καπηλεύων.* 2. Cor. II, 17. Certe quam ineptus sit homo *ψυ-*

χικὸς

χικὸς ad genuinam rerum ſpiritualium dijudicationem, ſecundum veriſſimum Pauli effatum 1 Cor. II, 14. proh dolor! abunde teſtantur tot profanæ in Scripturam ſacram commentationes ſcriptæ, & tot publici ſermones ad populum eccleſiaſticum habiti. Quare qui iuſtam iuſtæ interpretationis habilitatem quærit, is eam quærat ante omnia in iuſto veræ converſionis ac renovationis ordine.

§. III.

Etſi genuina interpretandi habilitas præcipue principio gratiæ tribuenda eſt; ſagaciores tamen ipſius etiam naturæ dotes, ratione *ingenii* & *iudicii*, ſubſerviente *memoria*, eidem eſſe neceſſarias, vel ex eo facile colligitur, quod gratia naturam in facultatibus ſuis non deſtruit, ſed corrigit & ſanatam nobilitat: Quid? quod Scriptura ſacra ita ſeſe habeat, ut, præter myſteria evangelii, ſimplici fide tenenda, permulta contineat, quæ ad variæ eruditionis ambitum pertinent, & in bono interprete facultatum naturalium dona non exigua requirunt. Horum vero nequaquam tanta eſt neceſſitas, ut ſine iſtis ſenſus in illis, quæ ad ſalutis fundamentum ac ordinem neceſſaria ſunt, inveſtigari nequeat. Nemo itaque defectu aliquo, quem hac in parte in ſe deprehendit, ſe ab interpretandi ſtudio, inprimis ſi privatum hoc ſit, ſinat abſterreri. Immo ſenſus iſte noſtræ indigentiæ etiam inſtructioribus id præſtat, ut eo minus ſibi ipſis ſuisque viribus, eo autem plus divinæ gratiæ, tribuant, illius hac ratione recte capaces.

§. iV.

Notitia theologiæ *thetica* in ſingulis eius partibus ideo interpreti neceſſaria eſt, ut interpretationem inſtituat ſecundum *analogiam fidei*. Ubi vero ſolicite cavendum eſt, ne quod anticipatarum opinionum ſyſtema, aut quædam errorum ac verorum dogmatum mixtura, pro genuina fidei analogia habeatur. Et cum hæc ipſa non niſi ex ipſis Scripturæ ſacræ fontibus haurienda ſit, ea hauriri poteſt e locis clarioribus & iſtorum doctrinis, pro nexu ſuo catenato inter ſe recte collatis ac dijudicatis, in conſilium adhibitis iſtis doctrinæ ſanioris ſyntagmatibus, quæ a peritis interpretibus jam dudum e ſacro codice ſine erroneārum hypotheſium præjudicio concinnata ſunt. Niſi enim iuſta hic habeatur cautio, committitur vitium iſtud, quod Logicis in argumentatione circuli nomen habet; ſiquidem fidei analogia, quæ inter ſubſidia interpretationis refertur, proprie non niſi ex ipſa interpretationis praxi acquiritur. Sed facile exſpirat hic omnis difficultas, ſi in pandectis ſacris diſtinguamus loca clariora & faciliora, eaque ſimul frequentiora, ab obſcurioribus & uti difficilioribus, ſic etiam rarioribus; & ſi non ex his, ſed ex iſtis nobis formemus eiusmodi bene cohærens doctrinarum ſyſtema, ad quod reliqua omnia ſubordinato & harmonico reſpectu commode poſſint referri. Ita enim doctrinarum compages in Scripturis contemperata eſt, ut faciliores & magis neceſſariæ, quæ ad ſalutis fundamen-

mentum & ordinem pertinent, difficilioribus & ſecundariis facem præferant, inde facile dijudicandis. Quid ipſe hunc in finem præſtare allaboraverim in diverſis ſcriptis, præcipue in *Oeconomia ſalutis* & in Iſagoge ad Scripturam ſacram generali, *Commentario Moſaico* præmiſſa, non eſt ignotum.

§. V.

Nec minor eſt neceſſitas *philologiæ ſacræ*, ſeu linguarum authenticarum ſufficiens notitia cum iis omnibus, quæ ad eam pro ambitu eius diffuſiore pertinent, & quæ inprimis MATTHIAS FLACIVS in *Scripturæ ſacræ clave* & SALOMON GLASSIVS in *Philologia ſacra*, utroque Theſauro eruditionis philologicæ incomparabili, præ aliis iam non commemorandis tradunt. Quæ philologica & ſimul critica habilitas, etſi inter ſubſidia hermeneuticæ neceſſaria locum haud poſtremum ſibi merito vindicat; defectus tamen facultatis uberioris neminem a praxi hermeneutica debet arcere. Hac enim ratione ſacrarum litterarum cultores fere per univerſum vitæ ſuæ academicæ curriculum ab ea deberent abſtinere; cum iſtud quam maxime occupatum ſit uti in thetica fidei analogia recte pernoſcenda, ſic etiam in philologiæ ſacræ campo. Sufficit itaque, inprimis ſub viva inſtitutione, ad ipſum ſtudii exegetici uſum non accedere, niſi coniuncta ſubſidiorum comparatione: quemadmodum cum eodem coniungi debet ſcopus ac niſus e ſtatu naturæ corrupto in ſtatum gratiæ ma-

gis magisque emergendi ac in eodem proficiendi. Et cum anditores in academiis in praxi hermeneutica ipsos doctores suos habeant præeuntes, viam, in qua ipsi proficiant, habent facillimam, postea, quid propriæ vires in ea valeant, experturi; & eo quidem felicius, quo plus subsidiorum sibi vivæ institutionis tempore acquisiverunt.

§. VI.

Historiæ ac *geographiæ sacræ* quantus sit usus in hermeneuticis, facile potest colligi ex eo, quod in sacris litteris innumera fere loca occurrunt, quæ inde lucem admittunt non exiguam, immo eam non raro postulant, accipere vero nequeunt, nisi historia sacra, cum eidem subserviente geographia, secundum nexum suum coniunctim fuerit tractata & recte percepta. Cui mea, quantulacunque sunt, non displicent, me ipsum hic ducem habent in non ignoto *historiæ sacræ*, cui etiam geographiæ biblicæ synopsis inserta est, systemate, & eiusdem Compendio.

§. VII.

Restat *archæologiæ* ac *typologiæ sacræ*, sub aphorismi finem memoratæ, consideratio. Certe utriusque notitiam interpreti summe esse necessariam, vel inde satis superque constat, quod innumera propemodum loca sine sufficienti *antiquitatum* sacrarum cognitione interpretaturo clausa sunt ac manent, ex ea autem statim patescunt, e difficilioribus faciliora facta. Et ad *typologiam* quod attinet, quemadmodum sine eius subsidio permagna

gna ſcripturarum veteris teſtamenti, inprimis pentateuchi Moſaici pars, inanis manet cortex nuclei evangelici expers: ſic etiam quam plurima novi fœderis loca, ſine daducho typico & ſine applicatione antitypica conſiderata, præcipuo ſuo nervo ac pondere deſtituuntur. Quam vero caute in typologia verſandum ſit, infra ſuo loco videbimus. Auditoribus meis etiam hac in parte conſulere anniſus ſum, uti in allegato hiſtoriæ ſacræ ſyſtemate, ſic quam maxime in libro, qui inſcribitur: *Bezaleel*, ſeu *Myſterium Chriſti* ac *Chriſtianiſmi in faſciis typicis antiquitatum Biblicarum veteris teſtamenti*. Hæc hactenus de boni interpretis habilitate. Pergo ad practicum eius officium.

APHORISMVS II.

DE OFFICIO INTERPRETIS PRACTICO.

Boni interpretis eſt, præter diligentem axiomatum hermeneuticorum applicationem theoreticam, debita cum fidelitate verſari in applicatione cuiusvis textus practica, qualem partim ſcriptoris ſacri ſcopus, partim ipſa ſubſtrata materia requirit.

Illuſtratio.

§. I.

Inſervit hic canon declarationi eorum, quæ ſupra de *ſtatu gratiæ* interpreti perquam neceſſario

dicta sunt. Nec sufficit in eo versari & non sine principio gratiæ ad interpretationem accedere: sed requiritur etiam sincerum continuandi & uberius proficiendi studium. Cum enim ad mentem Spiritus sancti in Scripturis recte indagandam interpreti opus sit charismate *δοκιμασίας*; hoc vero non nisi in ordine fideliter excultæ renovationis obtineatur, secundum Pauli monitum Rom. XII, 1.2. huius quanta sit necessitas, facile liquet.

§. II.

Quemadmodum deinceps suo loco videbimus, præcipuum digni interpretis officium versari debet in cuiuslibet textus *emphasiologia*, seu eius emphasi secundum insita pondera sua, recte consideranda. Hæc autem consideratio maxima ex parte supervacanea est sine propria rerum divinarum experientia, quam excultæ renovationis praxis adfert. Immo illi, qui hac destitutus est, plerumque quilibet fere locus aridior videbitur, adeo, ut, quid inde pro ipsius *δεινώσει* eruendum sit, ignoretur, & non raro adducantur, quæ ab eo sunt alieniora. Quare interpres hoc emphasiologiæ subsidio, quod ferventius renovationis studium ipsi præbet, merito utitur, tanquam peculiari ac præcipuo. Certe enim sic habenti, &, quæ habet, bene collocanti etiam ratione ipsius habilitatis hermeneuticæ dabitur, ut abundet, secundum evangelicum illud Christi oraculum, in concione nautica datum Matth. XIII, 12. & deinceps etiam c. XXV, 29. repetitum.

§. III.

§. III.

Quodſi unusquisque interpres, qui ſecundum legem veritatis ac caritatis aliis interpretando vult inſervire, eſt proximus ſibimet ipſi, ſemetipſum debito in ordine diligere iuſſus; certe ipſum ius naturæ, per revelationem e principio gratiæ illuſtratum, poſtulat, ut quilibet hermeneuta omnia præcipue ſibimet ipſi, tanquam omnium primo & proximo, fideliter applicet & ipſa praxi in ſpirituales uſus convertat. Et quis quæſo dapium ſtructor non ſibimet ipſi conſuleret iuſta ciborum aliis exhibitorum aſſumtione? Ad hanc curam ſui ipſius practicam præ aliis is eſt obſtrictus, qui tanquam evangelii præco, publica interpretandi opera defungitur. Cum enim is, proſcopi ac conſcientiæ ſuæ ductu, non poſſit non omnibus exoptare votis & apertis deſideriis requirere, ut practicos habeat auditores, aliis omnibus ſuo ipſius præire debet exemplo; quandoquidem ipſe ſui ipſius *proximus* eſt *auditor*, qui aures ſuas ori habet proximas, ſuumque obſequendi arbitrium per Dei gratiam in ſua ipſius habeat poteſtate; id quod de auditoribus ſuis affirmare nequit.

APHORISMVS III.

DE

SCRIPTVRÆ SESNSV.

Cuiuslibet loci & dicti tantum *unicus* eſt ſenſus; & is partim grammaticus,

ſive proprius, ſive improprius; partim logicus, ſeu litteralis; & hic permultis in locis adeo fœcundus, ut in ſubordinatione ſua contineat non ſolum diverſas rei eiusdem partes, diverſaque momenta, ſed etiam reſpectum *myſticum*, eumque vel *typicum*, vel *parabolicum*, vel *allegoricum*.

Illuſtratio.

§. I.

Senſum non niſi unum eſſe ac ſimplicem requirit Scripturæ ſacræ perſpicuitas, & certitudo mentis a Spiritu ſancto intentæ & recte percipiendæ, atque ita etiam ſcopus ipſius Dei: utpote qui obtineri haud poſſet ſuppoſita ſenſuum multiplicitate; ſiquidem hæc pro convictione certa fluctuationem ſcepticam eſſet progenitura, legentis animo circa ſenſum ſemper ſuſpenſo, immo ſi is non bene ſit compoſitus, modo hunc, modo iſtum ſibi electuro, prout affectuum diverſitas & obliquitas id ferat. Et cum inter homines nemo prudens ac ſinceræ mentis ſermone ſuo ſive ſcripto, ſive ore prolato ſenſum intendat multiplicem, nec auditores ac lectores præter unicum agnoſcant alios; facile poteſt agnoſci, Deum, qui hominum miniſterio apud homines uſus eſt in voluntatis ſuæ patefactionem, ab hac ſimplicitatis ac veritatis via nequaquam receſſiſſe.

§. II.

Sensus scripturæ unicus partim est grammaticus, partim logicus. *Grammaticus*, seu *verbalis*, is est, quem verba secundum regulas linguæ, suppositæ grammaticas & communi usu comprobatas, sine rerum consideratione secundum textum ac contextum instituta, gignunt, & quem ideo vel pueri in addiscendis linguis authenticis percipiunt. *Logicus* is est, quem notiones vocum grammaticæ cum dicentis materia & scopo perite collatæ gignunt, & qui ideo verbis ita convenit, ut simul rebus, quarum ista signa sunt, exacte conveniat. Qui sensus verborum ac totius textus logicus etiam *litteralis* dici solet, a litteris, seu integro sermone, nimirum secundum res ipsas signatas considerato; cum sensus iste vocum nudarum grammaticus etiam *sensus litteræ* vocari soleat.

§. III.

Sensus vocum grammaticus ipsis proprie & proxime ex usu communi convenit, ideoque *proprius* dicitur. Quandoquidem vero res innumeræ aliarum rerum sunt imagines, aut earum simulacra quædam referunt, pro sua, quæ inter ipsas incedit, analogia, inde oritur sensus verborum *improprius*, & *analogicus*, e textu integro, secundum res ipsas logice, atque ita secundum sensum logicum considerato, facile obvius & a proprio internoscendus. *A sensu verborum proprio non esse recedendum sine gravi ratione*, mox suo loco videbimus.

§. IV.

§. IV.

Sensus verborum seu integri textus *logicus* & *realis*, seu *litteralis* secundum intentionem Dei & Spiritus sancti operationem, cum sermone litterali concurrentem, atque ad effectum spiritualem in animo lectoris, sive auditoris, directum, simul est *spiritualis*, hoc est, spirituali virtute ac efficacia pollens. Etenim scriptura sacra non solum est *verbum*, seu sermo, quaslibet proprietates grammaticas, logicas, rhetoricas cum quolibet bene ordinato sermone humano communes habens; sed etiam verbum *Dei* ipsius, ideoque divina virtute fœcundissimum: unde comparatur cum *semine vivo*, vim insitam habente 1. Pet. I, 23. cum *igne ac malleo* Jer. XXIII, 19. cum *gladio ancipiti* Eph. VI, 17. cum *alimento vim nutriendi insitam habente* 1. Pet. II, 2. 3. & dicitur *nos erudire ad salutem* 2. Tim. III, 15. immo *potentia ad salutem* Rom. I, 16. *accensioni fidei, & regenerationi ac salvationi* inserviens Rom. X, 17. Luc. I, 18. 21.

§. V.

Sensus hic spiritualis, seu spiritualis illa sensus litteralis efficacia, non recipitur ab homine, qui extra statum gratiæ est ac manet; quippe qui nude tantum scripturæ litteræ adhæret, & circa verbum Dei tantum modo mere litterali & naturali, versatur. Quemadmodum enim is e nudis naturæ viribus circa illud occupatus est; sic etiam ex eo nihil recipit, nisi quod evidentia mere litteralis subministrat, influxu Spiritus sancti ἀμελανοήτως

ἴως repudiato. Atque ita is non est, nec fit θεοδίδακτος & vere illuminatus; utpote ultra notitiam rerum divinarum mere litteralem & nude historicam non progressus.

§. VI.

De differentia hac sensus mere litteralis & simul spiritualis (*simul*, inquam, siquidem indoles spiritualis notioni verborum & rerum litterali subordinata est) bene B. QVENSTEDIVS passim in Systemate: cui tamen sensus grammaticus & externus idem est, quod litteralis. Sic enim inter alia de Scriptura sacra p. 56. *Distinguendum est*, inquit, *inter sensum verbi grammaticum & externum, & sensum verbi divini spiritualem, internum & divinum. Ille formale est verbi Dei, quatenus verbum est; hic, quatenus verbum divinum est. Ille a quovis etiam irregenito percipi potest; hic vero non nisi ab intellectu illuminato* (qui irregenito oppositus, ideoque regenitus est) *apprehenditur.* Item p. 119. *Distinguendum est inter scripturæ sensum grammaticum* (seu mere litteralem) *externum, & sensum spiritualem, divinum ac internum. Quamvis homo irregenitus externum & grammaticum sensum scripturæ percipere, & exteriorem verbi divini corticem perspectum habere queat: non potest tamen absque Spiritus sancti illuminatione* (ab Auctore ad ordinem regenerationis & renovationis recte adstricta) *internum, spiritualem & divinum sacræ scripturæ sensum percipere, aut firmam, certam, & ad divinam ac salutarem fidem requi-*

requiſitam notitiam ex ſcripturarum lectione hauſire. 1. Cor. II, 14. *Requirimus itaque ad Scripturæ intelligentiam Spiritus ſancti* φωτισμὸν, *ſeu illuminationem, piis precibus impetrandam.* Videantur hujus generis loca plura partim eiusdem, partim aliorum theologorum in *Antibarbaro* Tomo I. Sect. I. p. 10. ſeqq.

§. VII.

Senſus vero ſcripturæ ſacræ *unicus* in locis quam plurimis adeo eſt *foecundus*, ut, pro gravitate ac profunditate ſua, non ſolum multis reſpectibus ſit emphaticus (de quo eruendo Part. I. Sect. II.) ſed non raro etiam *myſticus* h. e. *typicus*, vel *parabolicus*, aut *allegoricus*, ſub ſenſus litteralis cortice ita latens, ut ab ipſo Spiritu ſancto omnino ſit intentus.

§. VIII.

Senſus *typicus* eſt frequentiſſimus, præcipue in ſcriptis Moſaicis; utpote quæ *typis* tam *hiſtoricis*, quam *ceremonialibus*, abundant. Qua de re infra Part. II. Sect. I. ſeorſum agetur. *Parabolicus* ſenſus deprehenditur præcipue in parabolis Chriſti. Et ad iſtum non incommode refertur ſenſus *allegoricus* metaphoræ, quæ de re aliqua adhibita fuerat, per diverſa membra continuatæ. Luculentum ſermonis parabolici & ſimul allegorici exemplum habemus Prov. VII. & VIII. ubi *ſapientia falſa* & *genuina* ſub ſchemate mulieris impudicæ repræſentatur. Huc ſecundum analogiam pertinent *apologi*, quibus animalibus brutis,

aut

aut rebus inanimatis, ſermo humanus certis cum affectibus tribuitur: qualis eſt ille Jud. IX, 8. ſeqq. arborum de electione regis conſultantium. Item ſomnia allegorica, inter quæ eminent illa Nebucadnezaris de futuris ipſius & totius orbis fatis Dan. II. & IV. nec non Belſazaris c. VII.

§. IX.

In parabolicis præcipue attendendus eſt *ſcopus*, tanquam radix & cynoſura applicationis. Scopi vero conſideratio obſtat, quo minus in accommodatione conſectemur ſupervacua & minutias, quæ tantum ad decorum parabolæ pro natura eius imbecilliori pertinent Ad vim ſermonis parabolici quod attinet, ea quidem argumentativa non eſt, ſi accommodatio ſit illata potius, quam innata; habet tamen omnino auctoritatem non ſolum illuſtrandi, ſed etiam probandi in iis, quæ pro fidei analogia ad propoſitum ſcopum & ad comparationis tertium pertinent. Notandum etiam eſt, non omnes parabolas eodem modo, ſeu a ſimili concludere, uti illæ Matth. XIII. &c. ſed nonnullas procedere a diſſimili, e. g. illam de iniquo judice, & de amico petente tres panes, nec non de villico, ſeu œconomo iniquo: ubi ergo argumentatio fit a minori ad maius.

PARTIS

PARTIS PRIMAE
SECTIO I.
DE
SENSV LITTERALI INVESTIGANDO.

APHORISMVS I.

De ſenſu verborum proprio.

A proprio verborum ſenſu nunquam eſt recedendum, niſi id urgeat neceſſitas ex abſurditate, aut difficultate ſenſus proprii inſuperabili & reſpectu aliorum locorum contradictoria emergens.

Illuſtratio.

1. Exempla ſignificationis propriæ non deſerendæ.

Gen. 1, 2. dicitur *Spiritus Dei* recubuiſſe ſuper aquis, ſeu materia huius univerſi prima aquoſa. Ubi voces, *Spiritus Dei*, merito accipimus de tertia divinitatis hypoſtaſi, Spiritu Sancto; non autem de vento aliquo; cum Spiritu ſancto etiam alias creatio tribuatur, ventus vero ante conſtitutionem aëris, die tertio factam, nondum exſtiterit.

Jeſ. 11, 4. dicitur per univerſum orbem futura eſſe *pax*, gladiis in ligones, & haſtis in falces converſis.

versis. Quam promissionem merito sensu proprio accipimus; utpote periodo regni Messiæ ultimæ & sabbaticæ, alias tot typis Mosaicis & tot oraculis propheticis celebratæ, convenientissimo, & eo pronius admittendo, quo minus sensus improprii huc usque complementum factum est ullum, quod dignitati promissionum respondeat. Sensus autem proprietati non obstare vim verborum aliquo modo proverbialem & sensus extensivi, e re ipsa facile colligitur.

Rom. VIII, 19, 20, 21. Vox *κτίσεως*, *creaturæ*, merito accipitur proprie de rebus creatis ad physicum mundi systema pertinentibus, in quantum illæ ab angelis & humano genere distinctæ sunt. Etenim vox hæc proprie accepta adeo nulla laborat difficultate, ut potius sensum fundat commodissimum de huius universi immutatione, sapientiæ, omnipotentiæ ac gloriæ divinæ convenientissimum & aliis etiam scripturæ locis conformem; cum e contrario sensus improprius hic inextricabiles nodos nectat: de quibus infra in appendice.

1. Cor. XI, 30. *Infirmi* ac *ægrotantes* commode intelliguntur proprie, seu sensu communiore de illis, quibus e peculiari Dei judicio, seu castigatione paterna, morbi corporis fuerant immissi. *Dormientium* vero nomine ibidem defunctos intelligi, & eos sic appellari improprie, res ipsa indicat.

2. Thess. II, 3. seqq. Hic describitur *antichristus* eiusque revelatio & destructio; & quidem in quantum is, præter respectum totius corporis

antichristiani, præcipue ut certa persona consideratur. A qua sermonis istius proprietate ut recedamus nulla nos necessitas, nulla difficultas cogit; de certa vero persona ut textum intelligamus, locus apud Dan. c. VII. & Apoc. XII. & XIX. parallelus requirit.

2. Tim. IV, 17. Vocem *leonis*, e cuius faucibus se liberatum esse, Paulus prædicat, proprie esse accipiendam, pluribus ostendi in Commentario in h. l.

Apoc. XI, 3. seqq. Hic sermonem de *duobus testibus*, in numero testium aliorum eminentibus, maxima ex parte proprie esse intelligendum, in Commentario Apocalyptico pluribus demonstravi.

II. Exempla significationis propriæ deserendæ.

Gen. III, 1. seqq. Satanas quidem vocatur *serpens*, & vulgo existimatur, ipsum serpente, tanquam instrumento suo, fuisse usum, atque ita serpentis nomen proprie hic esse accipiendum: at in Commentario Mosaico pluribus evici, significationem propriam ob plures difficultates & ob loca parallela hic esse deserendam; serpentis vero nomen hic improprie positum esse de ipso diabolo.

Ps. CXXX, 1. David dicitur *e profundis* ad Dominum clamasse: vbi per *profunda* metaphorice intelligendus est status vehementioris afflictionis; quandoquidem de Davide, quod aliquando in fo-

veam

veam fuerit præcipitatus, ut Jeremias, non conſtat, nec probabile eſt.

Jeſ. I, 10. Dirigitur compellatio ad *principes Sodomorum* & ad *populum Gomorræ*, ſenſu non proprio, ſed metaphorico, ob ſimilitudinem, quam Iſraëlitæ inierant cum Sodomitis & Gomorræis.

Luc. XXI, 18. Dicuntur credentes ſub Chriſti adventum exſpectare ſui *redemtionem:* ubi res ipſa, ſeu redemtio proprie dicta iam facta, una cum contextu indicat, vocem *redemtionis* hic ſumi ſenſu latiori de ἀπολυτρώσεως proprie dictæ effectu, ſeu liberatione. Et hunc ſenſum comprobat paralleliſmus Rom. VII, 24. Eph. IV, 30.

1. Cor. III, 13. *Quale uniuscuiusque opus ſit, ignis probabit.* Hic vocem *ignis* improprie eſſe accipiendam de afflictione graviore, ſenſus proprii difficultas, immo & abſurditas indicat.

1. Cor. XV, 32. Paulus ſibi tribuit θηριομαχίαν Epheſinam. Quia vero Lucas in Actis, ubi res Pauli Epheſinas pluribus commemorat, nullam ullius pugnæ cum beſtiis mentionem fecit, vocem iſtam merito improprie accipimus de beſtiali Epheſinorum feritate.

Ceterum obſervandum eſt, huc pertinere voces & locutiones proverbiales & antitypicas, & metaphoras omnes; quarum permagna eſt copia in utroque ſacro codice.

APHORISMVS II.

De analyſi logica textus interpretandi.

Textus interpretandus ipſaque interpretatio plurimum lucis ac facilitatis accipit ab orthotomia analytica, ſeu anatome logica: utpote quæ non ſolum ſenſum litteralem plerumque indicat, aut illuſtrat, ſed univerſam quoque praxin hermeneuticam juſto ordine dirigit, nec exiguo ſeſe uſu homiletico commendat.

Illuſtratio.

1. Imperitis hic probe notandum eſt, in conſtituendis ac diſtinguendis alicuius textus membris ſemper logicum ipſarum rerum ordinem ita ſequendum eſſe, ut, quæ *natura priora* ſunt, etiam in explicatione primum accipiant locum, etſi ſecundum ſtructuram verborum ſyntacticam habeant medium, immo ultimum.

2. Per *textum* vero iuſta analyſi ordinandum hic intelligitur pars, aut particula, ſermonis brevior, quæ tamen ſenſum habet integrum. Quod ſi textus aliquis eſt prolixior, qualis eſſe ſolet in pericopis evangelicis & epiſtolicis, opus eſt analyſi generali, ſpeciali & ſpecialiſſima: ſed poſthabita omni alicuius artis ac ſubtilitatis affectatione.

3. Qui viva mea in exegeticis inſtitutione utuntur, in ſingulis lectionibus habent exempla huius ortho-

orthotomiæ; reliquis Commentarii mei Latini in epiſtolas Petri ac Johannis eiusdem modum exhibent locupletiſſimum. Nec Commentarii mei Germanici, qui ſub nomine des Lichts und Rechts in plures veteris ac novi fœderis libros proſtant, exemplis interpretationis, ſecundum ordinem analyſeos logicæ inſtitutæ, carent.

4. Qui textum quemlibet iuſta orthotomia recte digeſtum ſibi impreſſit, is inde in *homileticis duplicem* accipit *uſum*; *unum* in eo, ut dicere poſſit ordinate, perſpicue & diſtincte; *alterum*, ut careat formidine aberrationis, aut hæſitationis, inprimis tantæ, quæ ipſum cogat obmuteſcere. Inhæret enim ſecurior ordini ſuo analytico, quem uti animo tenacius impreſſit; ſic ipſe textus, quem ſemper ante oculos habet, inſpectus eundem identidem denuo ſubminiſtrat.

Aphorismvs III.

De ſcopo ſcriptoris ſacri.

Senſui litterali recte eruendo plurimum inſervit conſideratio ſcopi, quem ſcriptor ſacer ſcripto ſuo & cuivis eius parti, vel generatim, vel ſpeciatim, immo ſpecialiſſime præfixit, ideoque ſermonem ſuum ad eundem, e certis indiciis facile obſervandum, direxit; qui itaque ex eodem lucem accipit haud exiguam.

Illustratio.

Scopi consideratio multis occurrit difficultatibus, quæ alias lectores & interpretes torquent, prona ad falsam interpretationem, aut hæsitationem, via patefacta, pro qua scopi respectus rectam ostendit, v. g.

Scopus Mosis & ipsius Dei in historia creationis erat, indicare, hoc universum præcipue humani generis caussa creatum esse; ideoque potior narrationis pars refertur ad descriptionem telluris: quæ quidem nullam habet convenientem proportionem ad reliqua vastissima mundi corpora; at istis tamen ideo multo erat nobilior, quia humano generi data erat habitanda.

Scopus Abrahami in sepulchreto, pro familia sua in Cananæa acquirendo, erat, ut hac ratione primordia caperet futuræ possessionis, sibi ac posteris suis sæpius promissæ. Id quod cum probe perspectum habuerit Moses, narrationem istius rei & contractus prolixiorem instituit; cum alias sine isto respectu tota ista caussa videri posset levicula. Gen. XXIII.

Rom. IX. Scopus Apostoli est 1. agere de justificationis impedimentis, quæ Judæis obstiterint, quo minus christianam religionem sint amplexi; quæ erant præposterum & plane mercenarium justitiæ legalis, seu propriæ studium, & hinc promota ἀπείθειαν erga Evangelium. 2. Simul docere, Deum a liberrimo suo & firmissimo proposito, homines non e meritis, sed e sola gratia, salvandi

vandi nequaquam dimoveri. Qui scopus Pauli genuinus recte consideratus non permittit, ut quædam huius capitis pars de absoluto electionis & reprobationis decreto accipiatur. Etenim *decretum liberum* salvandi ex gratia, & non ex meritis secundum Judæorum præscriptum frivolum, permultum differt a *decreto absoluto.*

1. Cor. VII. Scopus Pauli est, non negata, sed adserta potius, conjugii dignitate, adserere cœlibatus prærogativam, quam is habeat præ coniugio, partim in se, respectu minorum incommodorum; partim respectu gravissimarum afflictionum, quæ eo tempore ecclesiæ imminebant Ergo ex hoc scopo dijudicandæ sunt locutiones in se aliquanto difficiliores, v. g. v. 33. *Qui coniugium init, curat ea, quæ mundi sunt, quomodo uxori placeat.* v. 34. *Virgo autem curat, quæ sunt Dei, ut sit sancta corpore & spiritu.* His enim verbis coniugibus non tribuitur amor mundi vitiosus, nec dominans; nec virginibus & cœlibibus solis adscribitur amor Dei & studium rerum divinarum: sed locutiones istæ tantum sunt comparativæ de eo, quod habetur, seu fit, vel maiori, vel minori cum impedimento & difficultate. Nec amor mundi hic alius intelligitur, quam qui in cura rei familiaris occupatus est, & id præterea agit, ne qua ratione coniux offendatur, ideoque de amore eius mutuo alendo solicitus est, & onera coniugii, fœderis & amicitiæ caussa, fert patienter. Ex eiusdem scopi consideratione cognoscitur sensus locuti-

cutionis: *bonum est homini, uxorem haud tangere* v. 1. scilicet rem bonam hic non opponi malæ, quæ per se vitiosa & prohibita est, quasi coniugium per se esset vitiosum, sed rei tantum incommodæ.

Hebr. VI. & X. Scopus Pauli est, illos, qui e Judæis vere ad Christum conversi fuerant, præmunire adversus eiusmodi relapsum, seu defectionem, qua nonnulli, Satanæ dolis superati, ad blasphemiam usque, Christum & totam religionem christianam repudiaverant, aut, ne repudiarent, timendum erat. Quare effatum Apostoli durius de iterandæ conversionis *ἀδυναμίᾳ*, applicandum non est ad peccatores alios, etsi proæreticos, aut e gratiæ statu per peccata atrociora relapsos.

Quandoquidem in aphorismo dictum est, scopum esse partim generalem, partim specialem & specialissimum, illustrationi inserviat locus Rom. VI, 17. Hic enim scopus generalis, qui etiam totius est epistolæ, erat Romanos in religione christiana confirmare; specialis apud justificatos renovationis studium urgere; specialissimus, refutare errorem, quasi status gratiæ, a legis coactione & fulmine immunis, impunitatem & peccandi licentiam adferret. Vide v. 15.

Sic Tit. II, 11. in verbis: *Apparuit enim gratia Dei salutaris omnibus hominibus* &c. scopus Pauli generalis est, Titum docere, quomodo se in ecclesiis Cretensibus, ad quas ordinandas ab ipso in Creta relictus fuerat, gerere debeat; specialis, ipsum

pſum inſtruere, quod & quomodo gratia Dei omni impietati medeatur & opponenda ſit; ſpecialiſſimus, probare theſin, ſeu monitum ſuum de officio ſervorum in doctrina chriſtiana, per fidelitatem miniſterii ſui ornanda, v. 9, 10.

Not 1. Scopus conſiderandus eſt non ſolum in ſcriptoribus ſacris, ſed etiam in dictis & factis aliorum, quæ iſti recenſent. Sic Paulus Gal. II, 11. ſeqq. recenſet factum Petri & Barnabæ, iisque tribuit hypocriſin. Hanc vero non fuiſſe talem proprie dictam, ſed tantum *diſſimulationem* inconſultam, ſeu intempeſtivam, qua illi in gratiam infirmorum a iuſto chriſtianæ libertatis uſu intempeſtive abſtinuerant, ſcopus ipſorum ſincerus infirmioribus conſulendi oſtendit.

2. Cum Chriſti agnitio ſalutaris ſit ſcopus primarius univerſæ ſcripturæ ſacræ, facile liquet, eius conſiderationem nobis commendare *Chriſtologiam* in ſingulis libris inveſtigandam, inprimis in figuris Leviticis.

3. Et cum Johannes ſpeciatim de hiſtoria evangelica ſcriptis conſignata hunc perhibeat ſcopum, *ut credamus Jeſum eſſe Chriſtum, filium Dei, & ut per fidem in nomine eius vitam habeamus æternam;* expreſſe monemur, quo fine & fructu ea a nobis in ſingulis ſuis partibus ſit conſideranda.

APHORISMVS IV.

De respectu subiecti & prædicati mutuo ac declarativo.

Natura subiecti in verbis latioris significationis sæpe declarat naturam prædicati, & vice versa: sive talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis; talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse a suis prædicatis.

Illustratio.

Exempla subiecti prædicatum declarantis.

Gen. II, 3. & deinceps sæpius dicitur *benedictio*, seu *Dei gratia*, ad salutem in semine Abrahami per universum genus humanum diffundenda. Quæ promissio illustris in propositionem logicam redacta, pro subjecto & auctore benedictionis agnoscit semen Abrahami. Cum vero hujus prædicati de benedictione humani generis tanta sit magnitudo, ut istud de Isaaco dici haud potuerit, ab eo, tanquam typo, remittimur ad antitypum, Messiam; quemadmodum id etiam eventus quam luculentissime comprobavit.

Exod. c. IV. & sequentibus dicitur aliquoties partim de *Pharaone* ipso, quod semet ipsum *induraverit*, partim de *Deo*, quod huius indurationis caussa sit. Jam si hoc prædicatum pro natura subiectorum intelligamus, facilis emergit sensus;

ſus; ſcilicet indurationem tribui Pharaoni reſpectu culpæ; utpote cuius in contextu multa fit mentio: Deo autem, in quem nulla culpæ proprie dictæ ſuſpicio cadit, tanquam iuſto iudici ratione pœnæ.

Per univerſum codicem veteris teſtamenti ſæpius fit mentio *Angeli Domini;* iſtum autem non eſſe creatum, ſed ἄκτιϛον, ipſum creatorem Meſſiam, prædicata in iſtis locis ampliſſima ſatis ſuperque oſtendunt.

Rom. VII Sermo eſt de *homine*, qui reiecto Epicureiſmi ſtatu nondum tranſiit in ſtatum gratiæ, ſed circa converſionis limen adhuc hæret ſub lege. Conf. B. SCHOMERVS in h. l. Hoc autem ſuppoſito locutiones omnes, quæ, de regenitis intellectæ duriores ſunt, ſenſum accipiunt faciliorem, ſeu proniorem. Quod ſi vero, tanquam certum, ſupponas, Apoſtolum de regenitis loqui, negationes iſtæ de negato voluntatis effectu v. 15. 18. pro iſta ſubiecti conditione intelligendæ ſunt de reliquiis peccati adhuc adhæreſcentis, nequaquam vero de peccati dominio. Eadem eſt ratio reliquarum locutionum pro conditione ſubiecti interpretandarum.

Rom. XII, 15. *Gaudete*, inquit Paulus, *cum gaudentibus.* Hic gaudii participatio iniungitur Romanis, quotquot iam vere ad Chriſtum erant converſi, & qui in ordine converſionis ac renovationis profani huius mundi gaudia iam dudum abnegaverant. Ergo hæc ſubiectorum indoles

doles non permittit, ut prædicatum intelligatur de gaudio profano; utpote intelligendum de fraterna eiusmodi bonorum, inprimis spiritualium, communione, secundum quam, quæ aliis obvenerunt, aliquis sibi etiam ipsi obvenisse reputet & lætetur. Qui sensus etiam liquet ex adiecto altero eius membro de communione *crucis*, nomine lacrymarum notatæ, cum fratribus subeunda.

1. Cor. III, 2. *Vos Corinthii adhuc estis carnales.* Corinthii vero iam erant conversi ad Dominum. Ergo τὸ *carnalem adhuc esse*, hic non accipitur de statu dominante, sed tantum de afficiente, seu de risiduo aliquo affectu, qualis erat τῶν νηπίων v. 1.

1. Cor. IX, 21. *Paulus* dicitur *factus esse omnia in omnibus.* Id quod quo minus intelligas de simulatione ac dissimulatione politica, quo quis uti homo est, ita ipsi morem gerit, etiam contra conscientiam; obstat subiecti indoles, ab astutia ista versipelli alienissima.

1. Cor. VII, 14. *Liberi vestri sancti sunt.* Quia sermo est de liberis, communi peccati labe infectis, sanctitas illa non potest intelligi alia, quam potentialis & fœderalis, quod liberi ab alterutra parte coniugum christiana (cum sermo sit de coniugio heterogeneo) sint in nomine ac timore Dei geniti ac suscepti, Deoque in fœdus consecrati, atque ita sancti sanctimonia fœderali, via ad sanctitatem evangelicam sic patefacta.

1. Tim. V, 16. Dicitur *Timotheus se & auditores*

res ſuos ſalvare. Id quod longe alio ſenſu intelligi de Timotheo, quam quo de Chriſto dicitur Matth 1, 21. diverſa ſubiectorum conditio indicat. Chriſtus enim ſalvat, ut cauſſa principalis, Paulus ut inſtrumentalis.

1. Joh. II, 19. *A ſpiritu ſancto uncti norunt omnia.* Hic prædicatum non intelligendum eſſe abſolute, ſed reſtricte, ſenſu ad ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, relato, indicat natura ſubiecti, ſcilicet mere humana & imperfecta, etſi uncta.

II. Exempla prædicati ſubiectum declarantis.

Rom. VIII, 8. *Qui ſunt in carne, Deo placere non poſſunt.* Prædicatum hoc indicat, *ſè in carne eſſe*, hic idem eſſe, ac in carne, ſeu in corruptione, tanquam in elemento ſuo, verſari & ductum carnis dominantem ſequi. Qui enim aliter in carne ſunt, Deo placere poſſunt.

1 Cor. VII, 19. Hic dicitur *circumciſio nihil eſſe.* Quod prædicatum docet, intelligi hic circumciſionem nudam, intellectam ſine reſpectu ad Meſſiam, immo eidem, ſeu evangelio, oppoſitam. Etenim circumciſio pro ſcopo & in uſu ſuo legitimo non fuerat nihil, ſed ritus fœderalis & ſacramentalis.

1. Cor. XII, 3. *Nemo poteſt Jeſum appellare Dominum, niſi in Spiritu ſancto.* Ubi ordinata propoſitio hæc eſt: Appellatio Chriſti, tanquam Domini noſtri, ſeu confeſſio de eo, non poteſt fieri, niſi

nisi ex operatione Spiritus sancti. Hoc vero prædicatum manifeste declarat naturam subiecti, scilicet non intelligi appellationem, seu confessionem qualemcunque, qualis etiam hypocritarum est, secundum Matth. VII, 22. sed talem, quæ cum fide & cum vera consecratione & adoratione coniuncta est, qualis erat Thomæ Jo. XX, 28. Conf. omnino de tali Jes. XLIV, 3. 5.

1. Cor. X, 23. *Omnia mihi licent.* Hic subiectum, *omnia*, non esse absolute universale, sed restrictum ad rerum honestarum & permissarum genus, e prædicato facile liquet. Videatur eiusmodi locutio etiam Tit. I, 15. ubi *omnia dicuntur pura esse puris.*

Hebr. VI, 4. seqq. *Relapsi non possunt renovari ad pœnitentiam.* Prædicatum hoc indicat, agi hic de eiusmodi peccatoribus, qui relapsu suo peccatum in Spiritum Sanctum, certe analogum, commiserint.

APHORISMVS V.

De verbis actionem diverso modo notantibus.

Verba actionum & effectus, seu quibus res aliqua fieri dicitur, ipsa materia sic exigente, sæpe explicanda sunt de potestate, seu facultate libera, de jure, seu debito, de voluntate, seu agendi voto, de agendi consuetudine, de rei continuatione,

tione, de permiſſione, de declaratione, vel de conatu ac voto.

Illuſtratio.

Exempla verborum actus de poteſtate, ſeu facultate libera.

Jeſ. XLIX, 15. *Num obliviſcetur mulier foetus ſui,* h.e. obliviſci poterit, ita ut facultati liberæ affectus maternus non obſtet. Recte Lutherus: **Kan auch ein Weib ihres Kindleins vergeſſen, daß ſie ſich nicht erbarme ꝛc.**

Prov. XX, 9. *Quis dicet* (ſalva veritate dicere poteſt) *purificavi cor meum, mundus ſum a peccato?* Luth. **Wer kan ſagen: ich bin rein in meinem Hertzen.**

Matth. VII, 16. *Numquid colligunt de ſpinis uvam, aut de tribulis ficum?* Luth. **Kan man auch Trauben leſen von den Dornen ꝛc.**

- XII, 31. *Omne peccatum & blasphemia remittetur homini*, h. e. remitti poterit in ordine pœnitentiæ. Ita etiam v. 32.

Rom. IX, 19. *Voluntati eius quis reſiſtet?* Luth. **Wer kan ſeinem Willen widerſtehen.**

-- X, 14. *Quomodo invocabunt* (invocare poterunt) *in quem non crediderunt?* Luth. **Wie ſollen (oder können) ſie anruffen ꝛc.**

1. Cor. II, 14. 15. *Spiritualis dijudicat* (dijudicare poteſt) *omnia, & ipſe a nemine dijudicatur,* **h.e. dijudicari poteſt.**

Exem-

Exempla verborum actus, seu effectus de jure, seu debito.

Gen. XX, 9. *Opera, quæ non fient* (fieri non debent) *feciſti mecum:* Luth. **Du haſt mit mir gehandelt, wie man nicht handeln ſoll.**

Nota. Huc refer verba poteſtatis pro verbis juris, ſeu debiti.

Gen. XXIV, 50. *A Jehova profecta eſt hæc res, non poſſumus* (non debemus) *eloqui tibi malum, aut bonum.*

-- XLIII, 32. *Quia non poſſunt* (debent) *Ægyptii comedere cum Hebræis.* **Die Egyptier dürffen nicht Brodt eſſen mit den Ebräern.**

Act IV, 20. *Non poſſumus* (debemus) *nos, quæ vidimus, aut audivimus, non loqui.*

1. Joh. III, 9. *Qui ex Deo natus eſt, non poteſt* (non debet) *peccare* (ſcilicet data opera.)

Pſ. XXXII, 8. *Exaudiam te & docebo te, qua via ibis* (ire debes) Luth. **den du wandeln ſolt.**

Mal. I, 6. *Filius honorabit patrem & ſervus herum ſuum.* Luth. **Ein Sohn ſoll ſeinen Vater ehren, und ein Knecht ſeinen Herrn.**

-- II, 7. *Labia ſacerdotis obſervabunt* (obſervare debent) *ſcientiam.* Luth. **Des Prieſters Lippen ſollen die Lehre bewahren.**

Matth. II, 4. *Percontabatur Herodes ab illis, ubi Chriſtus naſcitur* (naſci deberet, vel naſciturus eſſet) **Herodes forſchete von ihnen, wo Chriſtus ſolte geboyren werden.**

Matth.

Matth. XVIII, 21. *Quoties remittam fratri meo* i. e. remittere debeo? Luth. **Wie offt muß ich meinem Bruder vergeben?**

C. XXVI, 52. *Omnes, qui gladium sumserint, gladio peribunt*, h. e. de jure gladio perire debent. **Wer das Schwerdt nimmt, der soll durchs Schwerdt umkommen.**

Luc. III, 14. *Et nos quid faciemus*, h. e. facere debemus? Luth. **Was sollen wir denn thun?**

Hebr. V, 4. *Non sibi ipsi sumit quisquam honorem &c.* i. e. sumere debet.

Exempla verborum actus, seu affectus de voluntate & voto agendi.

Gen. XXIV, 58. *Num ibis cum hoc viro? & dixit: ibo*, h e. visne ire? ibo. Luth. **Wilt du mit diesem Manne ziehen? sie antwortete: Ja, ich will mit ihm.**

1. Sam. XXI, 9. *Si eum* (gladium) *accipies tibi* (vis accipere,) *accipe*. Luth. **Wilst du dasselbe, so nimms hin.**

Matth. V, 23. *Si obtuleris munus tuum super altari*, h. e. offerre volueris; quod scilicet ante iniunctam reconciliationem fieri non debebat.

C XIII, 13. *Ideo in parabolis loquor illis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt*, h. e. nolunt videre, audire, intelligere

C. XXIII. 8. *Vos autem, ne vocemini Rabbi,*

h. e. ne ambitiose ita vocari affectetis: uti liquet e v. 6, 7.

Luc. II, 52. *Ipsi non intratis & intrantes* (intrare volentes) *prohibetis*. Luth. **Ihr kommet nicht hinein, und wehret denen, die hinein wollen.**

C. XXII, 26. *Qui major est* (esse vult) in vobis, *fiat sicut junior &c.* Conf. Matth. XX, 22. Marc. X, 43.

1. Cor. X, 22. *An provocamus* (provocare volumus) Dominum? Luth. **Oder wollen wir den HErrn trotzen?**

Exempla verborum actus, vel effectus de consuetudine agendi.

Gen. VI, 21. *Accipe de omni cibo, qui comedetur*, h. e. comedi solet.

C. XXXIX, 16. *Dixit Laban: non fiet sic in loco nostro*, h. e. fieri ita solet.

Marc. XV, 6. *Die festo dimittebat eis unum e vinctis*, h. e. dimittere solebat, secundum Matth. XXVII, 15.

Joh. IV, 9. *Non commercium habent* (habere solent) *Judæi cum Samaritis.*

Exempla actus de rei continuatione.

Gen. XV, 6. *Credidit Abraham Deo, & imputavit illud ei ad justitiam*, h. e. uti jam dudum cœperat, sic perrexit credere in confirmationem justitiæ, jam per fidem obtentæ. Huc e veteri testamento pertinent omnes cohortationes ad timo-

rem

rem Dei, in quantum illæ ad fideles Dei cultores directæ erant: & hujus generis alia.

Joh. XIV, 23. *Quicunque me diligit .. & veniemus ad ipſum, manſionem apud ipſum facturi;* ſcilicet ratione continuationis: ſiquidem dilectio ſupponit fidem & fides unionem cum Deo myſticam. Idem intelligendum eſt de promiſſione revelationis, ſcilicet uberioris, genuinæ dilectionis praxin ſubſecuturæ.

Rom. XII, 1. 2. *Adhortor vos, ut corpora ſiſtatis Deo, - ne conformemini mundo, ſed renovemini &c.* Cum Romani, tanquam vere ad Deum converſi, ſe jam dudum Deo conſecraſſent, ac in renovationis exercitio verſarentur, manifeſtum eſt, hoc non de primo actu, ſed de conſecratione & majori incremento intelligi. Eadem eſt ratio quam plurimorum in epiſtolis locorum; quemadmodum e ſtatu eorum, ad quos illæ ſcriptæ ſunt, liquet.

Exempla actus de permiſſione.

Job. I, 21. *Dominus dedit, Dominus abſtulit,* h. e. auferri permiſit, abſoluta impediendi patientia ab exercitio ſuſpenſa.

Matth. VI, 22. *Ne inducas nos in tentationem,* h. e. ne permittas nos induci, ita ſcilicet, ut tentationi ſuccumbamus.

1. Cor. VI, 7. *Cur non potius injuria afficimini,* h. e. vos affici permittitis.

Sic v. 12. *Omnia mihi licent, ſed non redi-*

gar in poteſtatem a re quapiam, h. e. non permittam, vel committam me redigi: ad quem ſenſum reſpexit Lutherus, quando verba, οὐκ ἐγὼ ἐξουσιασθήσομαι ὑπὸ τινὸς, reddidit: **Es ſoll mich aber nichts gefangen nehmen.**

Not. Inprimis huc referenda ſunt loca in utroque codice de *induratione* & *traditione* in mentem reprobam, intelligenda de permiſſione judiciaria; quæ cum non minus a nuda, ſeu otioſa ſpectatione, quam ab approbatione ſit aliena, per verba actum (qui hic non niſi voluntatis conſequentis judiciarius eſt) notantia exprimitur.

Exempla actus de declaratione.

Lev. XIII, 3. *Cum leproſum inſpexerit ſacerdos, tum immundum faciet*, h. e. declarabit. Sic deinceps ſæpius.

Job. X, 2. *Dicam Deo, ne facias me impium*, h. e. ne declares, ſeu condemnes.

Pſ. XXXIV, 4. *Magnum efficite*, h. e. eſſe declarate, *Jehovam.*

Jeſ. XI, 10. *Obeſum fac cor populi iſtius & aures ejus aggrava, & oculos eius illinito*, h. e. populum reſpectu cordis, aurium & oculorum mentis ſua culpa talem eſſe declara.

Jer. I, 10. *Vide, præficio te hodierno die gentibus & regnis ad exſtirpandum; ad demoliendum, ad perdendum, ad deſtruendum; ad ædificandum, ad plantandum*, h. e. aliis vaſtationem, aliis ſalutem denunciabis.

Jer.

Jer. IV, 10. *Domine, ſeducendo ſeduxiſti populum hunc*, h. e. ſeductum eſſe, abunde ipſi declaraſti.

- - XV, 1. *Rejice eos a me*, h. e. eos projectum iri declara.

Ezech. XIII, 19. *Profanatis me - - morte afficiendo animas, quæ non ſunt morituræ, & vivificando animas, quæ non ſunt victuræ*, h. e. declarando, illas morituras aut victuras eſſe. Optime Lutherus. **Darum, daß ihr die Seelen zum Tode verurtheilet, die doch nicht ſolten ſterben, und urtheilet die zum Leben, die doch nicht leben ſolten.**

Jon. I, 16. *Immolaverunt hoſtiam Domino*, ſcilicet immolatione futura, per votum, cujus mentio additur, declarata.

Luc. VII, 29. *Publicani juſtificarunt Deum*, h. e. juſtum peccatorum confeſſione declaraverunt. Luth. **Sie gaben GOtt recht.**

Act. X, 15. *Quæ Deus purificavit, tu ne profana*, h. e. profana eſſe dic. Conf. v. 28. ubi ipſe Petrus hoc ita explicat: *Deus mihi oſtendit, ne quem pollutum, vel impurum* dicerem.

Rom. V, 15. *Lex iram operatur*, h. e. manifeſtat,

C. VII, 11. *Lex me occidit.* 1. Cor. III, 16. *Littera occidit*, i. e. ſpiritualiter mortuum & æternæ morti obnoxium eſſe declarat. Conf. Hoſ. VI, 5.

Hebr. I, 6. *Cum Deus iterum introduceret primogenitum in mundum*, h. e. cum futuram ejus introductionem per novam prophetiam declararet.

Hebr. X, 5. *Ingrediens in mundum*, h. e. de futuro ſuo in mundum adventu prophetiam edens.

Not. 1. Pertinent huc ex utroque codice inprimis verba *ſenſus forenſis* de *juſtificatione* & *condemnatione*, e libris theticis ſatis nota. Et idem ſenſus de juſti declaratione valet etiam in locis Jacobi c. II, 21. 24. 25. de juſtificatione Abrahami, ex operibus tali, ſed in foro cognitionis & æſtimationis humano. Sic quando ibidem v. 22. dicitur: *fides ex operibus ἐτελειώθη perfecta fuit*, id de declaratione & cognitione intelligendum eſt.

2. Huc porro pertinent exempla verborum *actus* de *cognitione* intelligendi.

Pſ. LI, 6. *Ut juſtificeris* (juſtus agnoſcaris Luth. auf daß du recht behalteſt) *in ſermonibus tuis.*

Hoſ. V, 15. *Abiens revertar in locum meum, donec rei ſint*, h. e. reos ſe agnoſcant. Luth. bis ſie ihre Schuld erkennen.

Rom. III, 19. *Ut omnis mundus Deo fiat ὑπόδικος*, reus, h. e. ut agnoſcat, ſe iuſto Dei judicio eſſe obnoxium.

C. V, 20. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*, h. e. ut cognoſceretur abundare. Conf. v. 13. c III, 20.

Hebr. VII, 3. Melchiſedecus fuit *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia* &c. ſcilicet reſpectu recenſionis & cognationis.

3. Commode etiam huc referuntur verba *actus* de *ſigno*, per quod actus aliquis, inprimis internus, ſeu affectus innoteſcit. Hoc ſenſu paſſim oculis tribuitur,

tribuitur, quod animi & ejus affectuum est, Deut. 13, 8. Jes. 3, 17. Ezech. 5, 11. c. 7, 4. Ps. 119, 82. 123. &c.

Exempla actus verbalis de conatu ac voto.

Gen. XXXVII, 21. *Ruben eripuit eum e manu ipsorum*, scilicet quantum ratione studii & conatus in ipso erat v. 22. Luth. **Ruben wolte ihn aus ihren Händen erretten.**

Ezech. XXIV, 13. *Mundavi te*: (mundare annisus sum) *& non es munda ta:* Luth. **Ob ich dich gleich gern reinigen wolte, so wilt du dich doch nicht reinigen lassen.**

Joh. V, 34. *Ego ab hominibus testimonium non accipio*, h. e. non capto testimonium, nec eo indigeo.

Rom. II, 4. *Benignitas Dei te ad pœnitentiam ducit;* scilicet quantum est in Dei intentione & studio, quod tamen neminem cogit.

1. Cor. X, 33. *Ego per omnia omnibus placeo*, i. e. per viam caritatis, in quantum veritatis ac conscientiæ ratio permittit, placere studeo. Conf. Gal. 1, 10. 1. Thess. 2, 4.

Gal. V, 4. *Exclusi estis a Christo, qui per legem justificamini*, justificari conamini. Luth. **Die ihr durchs Gesetz gerecht werden wollet.** Conf. c. 4, 21.

Not. In ejusmodi locorum interpretatione semper habenda est ratio analogiæ fidei & locorum

parallelorum. Extra quem respectum qui loca de vero actu & effectu agentia, v. g. ea de renovatione & singulis ejus partibus vellet de solo conatu intelligere, mentem proditurus esset improbam & scepticam.

Observatio generalis.

Optime de his loquendi modis monet B. SAL. GLASSIVS, de iisdem pluribus conferendus in *Philol. sacra* Lib. III. p. m. 554. *Caussa actionis in homine duplex est: facultas & voluntas. Et hæc voluntas consideratur vel ratione normæ, sive legis ac debiti, vel ratione sui ipsius, tum ἁπλῶς, quatenus simpliciter vult & optat; tum ἐνεργητικῶς, quatenus operatur: & quidem vel respectu sui, quatenus scilicet cum conatu, vel cum consuetudine conjuncta est; vel respectu aliorum, quibus aut occasionem & caussam agendi præbet, aut rem certam permittit. Hinc igitur verba quædam, actiones & effectus certos denotantia, sunt intelligenda de potestate & facultate, de jure & debito, de voluntate & voto, de conatu & consuetudine, de occasione, de permissione.*

APHORISMVS VI.

De caussa morali.

Verba actus pro re substrata passim intelligenda sunt de occasione, seu culpa, vel de mandato, aut caussa organica.

Illu-

Illustratio.

Exempla actus de occasione & caussa, vel culpa.

Exod. XXIII, 8. *Munus excæcat oculatos & pervertit verba justorum*, h. e. occasionem excæcationi præbet

Jes. XLIII, 24. *Servire me fecisti peccatis tuis*, h. e. caussa extitisti, ut rigidissimæ servitutis onus susciperem.

Act. V, 3. *Cur satanas cor tuum implevit*, h. e. cur illud impleri permisisti?

Rom. XIV, 15. *Ne cibo tuo illum perde* (ne illi perditionis occasionem, nedum caussam præbe) pro quo Christus mortuus est. Conf. 1. Cor. 8, 11.

- - 16. *Ne blasphemia afficiatur bonum vestrum*, h. e. nullam blasphemiæ occassionem date. Luth. **Schaffet, daß euer Schatz nicht verlästert werde.**

1. Tim. IV, 12. *Nemo contemnat juventutem tuam*, h. e. ne committas, te contemni, scilicet vita ad decentem gravitatem minus composita. Unde sequitur: *Sed esto typus* &c. Sic Tit. II, 15. Nemo te contemnat. Luth. recte: **Laß dich nicht verachten.**

Exempla actus de agendi mandato, seu procuratione.

Gen. XLIX, 26. *Junxit Josephus currum suum*, h. e. jungi curavit.

2. Sam. XII, 9. *Uriam percussisti gladio*, h. e. percuti jussisti, seu jussu tuo morti objecisti.

Joh. IV, 1. *Christus baptizavit:* quod tamen v. 2. statim explicatur de ejus procuratione per discipulos.

-- XIX, 1. *Pilatus apprehendit Jesum & flagellavit.* Sic v. 19. Scripsit autem & titulum Pilatus & posuit super crucem.

Sic etiam Act. III, 15. IV, 10. Judæis tribuitur, quod Christum occiderint & cruci affixerint; scilicet per Romanos.

Exempla verborum actus de approbatione & concursu.

Jud. IX, 18. Factum Abimelechi v. 4, 5. tribuitur Sichemitis, quia illud approbaverant, adjutores ejus facti v. 24.

1. Cor. VI, 3. Hic sancti dicuntur *mundum* & *ipsos* etiam *angelos*, scilicet defectores, esse judicaturi.

Exempla verborum actus de causa organica.

Dan. XII, 3. Dicuntur doctores *justificare multos.* Confer. locum Obad. v. 21. de salvatoribus.

1. Tim. IV, 16. *Attende tibi ipsi & doctrinæ, permane in istis; hoc enim si feceris, te ipsum salvabis & eos, qui te audiunt.* Huc pertinent omnes actiones ministeriales, ad salutarem effectum tendentes. Act. 26, 18. Rom. 11, 14. Jac. 5, 20.

APHOR.

APHORISMVS VII.

De verborum & locutionum congerie declarativa.

Sæpe res eadem diversis verbis ac modis notatur, sensu ad idem cum declaratione aliqua relato.

Illustratio.

Ejusmodi loquendi & narrandi modis inprimis abundat sermo Hebræus e peculiari Hebrææ gentis idiomate, v. g. Job. 1,1. de integritate animi & vitæ in Jobo.

Et hunc scribendi modum etiam Apostoli passim imitati sunt. Sic quod Rom. 5, 16. dicitur, v.17. 18. 19. pluribus declaratur in comparatione & oppositione Adami & Christi.

Col. III, 1. 2. Hic locutio τὰ ἄνω ζητεῖν declaratur per τὰ ἄνω φρονεῖν.

2.Tim. IV, 5. Verba: *Opus fac evangelistæ*, declarantur per sequentia: *ministerium tuum plene adimple.*

Inprimis per uberiorem declarationem tractata est materia de usu *libertatis christianæ*, 1.Cor. 9. de moderato & ad ædificationem directo *charismatum usu*, 1. Cor. 12 & 14. de *resurrectione mortuorum*, 1. Cor. 15. præcipue autem v. 36. usque ad v.50. de *collectione stipis* publica, 2.Cor. 8. & 9.

Not. 1. Alia est *tautologia inepta* & *supervacanea*, quam aut imperitia, aut rei, de qua dicendum

est,

est, inanitas parit: alia *exegetica*, quam partim dicentis affectus, partim rei gravitas, aut necessitas, partim etiam auditorum, vel lectorum acedia & negligentia requirunt, vel quæ etiam peculiari linguæ proprietati & consuetudini tribuenda est.

2. Quod si e contrario res gravissimæ paucioribus verbis dicuntur, illis eo plus ponderis inest. Non raro etiam brevitatis caussa in eo est, quod res aliqua non ex instituto, & tanquam in sede sua propria, tractatur, sed tantum occasione alius materiæ attingitur.

APHORISMVS VIII.

De antithesi & ejus membris.

Antitheseos membra non raro sese mirifice declarant, præcipue in ejusmodi oppositione, quæ secundum notiones vocum grammaticas non est directa.

Illustratio.

Ps. I, 6. *Dominus novit viam justorum, at via impiorum perit.* Hic directa oppositio ita debuisset sese habere: Dominus viam impiorum ignorat, seu non agnoscit: Vel etiam ita: Via justorum manet, seu est perpetua, sed via impiorum perit. Cum vero hic adsit antithesis indirecta, ad ipsum sensum cum emphasi relata, ex ea liquet, τὸ *nosse* hic idem esse, ac aliquid ita approbare ac tueri, ut ab interitu conservetur: τὸ *perire* autem intelligendum esse de ejusmodi interitu, qui cum

practi-

practica Dei ignoratione, seu justa curæ paternæ subtractione conjunctus est. Et quando in eodem textu *justi* opponuntur non *injustis* in notione grammatica, sed impiis, indicatur, quemlibet justum esse pium, & quemlibet impium esse injustum.

Rom. I, 21. *Glorificationi & gratiarum actioni*, Deo debitæ, opponitur prolapsus ad *vanitatem ratiocinationum & ad mentis tenebras*. Unde emergit duplex illustratio. *Membri prioris*: glorificatio Dei & gratiarum actio obstant mentis vanitati ac tenebris, & e contrario statum ejus illuminatum ac rectum promovent. *Membri posterioris*: mentis vanitas ac tenebræ revera continent ac gignunt animum ingratum ac Dei contemtorem, qui honoranti & gratias agenti directe oppositus est.

– 1. Cor. II, 4. *Persuasoriis humanæ sapientiæ verbis* opponitur *demonstratio spiritus ac potentiæ*. Quæ observatio has suppeditat observationes, quod persuasoria ista *humanæ sapientiæ verba* destituta sint omni vi demonstrativa, ad convictionem tendente & pertingente, nec non omni spiritu ac virtute. E contrario autem quod demonstratio spiritus ac potentiæ non curet humanam dicendi artem, & quod utatur verbis, ad divinæ sapientiæ principium ac præscriptum compositis, ideoque sua rerum pondera habentibus. Eadem est ratio oppositionis, quæ c. 5 & 13. habetur.

1. Cor. XV, 10. *Gratiæ non inani* opponitur *labor* abundantior; cum directa oppositio in posteriori membro postulasset gratiam, ipso effectu

effica-

efficacem. Sed antitheſis illa non caret emphaſi, ſic declaranda: Gratiæ inanitas, ſeu defectus prodit ſeſe ſalutiferi laboris defectu; quemadmodum laboris aſſiduitas & fructus fidelem gratiæ uſum ſupponit ac prodit.

1. Cor. I, 12. *Simplicitati* ac *ſinceritati*, nec non *gratiæ Dei* in converſatione opponitur *ſapientia carnalis*. Unde conjicitur, hanc ſapientiam carere vera ſimplicitate, nec non ſinceritate ac Dei gratia: e contrario, eam eſſe varie curioſam, doloſam, ac fructum corruptæ naturæ, quæ gratiæ oppoſita eſt. Item: in ſimplicitate, ſinceritate ac uſura divinæ gratiæ eſſe veram ſapientiam. Eadem eſt ratio antitheſeos, quæ c. 2, 17. occurrit.

APHORISMUS IX.

De ſede & occaſione materiæ.

Probe obſervandum eſt, utrum aliquid dicatur ex inſtituto & in materiæ iſtius ſede, an vero attingatur tantum occaſione alius materiæ ex inſtituto tractatæ.

Illuſtratio.

Rom. III, 21. ſeqq. Hic ex iſtituto tractatur doctrina de juſtificatione per fidem in Jeſum Chriſtum. Occaſione autem hujus doctrinæ fit mentio legis & prophetarum v. 21. & naturalis deſtitutionis, ſeu lapſus v. 23.

1. Cor. XV. Traditur doctrina de reſurrectione

ne mortuorum; ſed commemoratis ſimul aliis, ad materiæ iſtius affinitatem diverſa ratione pertinentibus.

Not. 1. Non vero exiſtimandum eſt, nunquam materiam aliquam tractari, tanquam in propria ſede ſua, niſi illa tractatio ſit prolixior. Non raro enim aliquid dicitur ex inſtituto & ſingulari cum emphaſi, etſi verbis paucioribus, v. g. de *electione*, & in ea ſpeciatim de ſenſu ejus reſpectivo, ratione fidei ad Chriſtum apprehenſum relato. Eph. I, 4. 2. Theſſal. II, 13.

2. Uſus hujus aphoriſmi præcipue eſt dogmaticus in probandis doctrinis: ubi ad ſedes materiarum præcipue eſt recurrendum, iis tamen, quæ alibi dicta ſunt, non plane prætermiſſis: quemadmodum ea, quæ in tractationem aliquam tantum incidunt, ad uberiorem cognitionem aliunde ſupplenda ſunt, ſi de iis plura loca adſint.

APHORISMVS X.

De natura & differentia epithetorum.

Epithetorum alia ſunt ἐξηγητικὰ, alia διακριτικὰ. Omne epithetum διακριτικὸν, quod rem unam ab altera & plane aliena diſtinguit, eſt etiam ἐξηγητικὸν, ſimul aliquam declarandi vim habens; ſed non omne ἐξηγητικὸν eſt ſimul διακριτικὸν.

Illuſtratio.

Exempla epithetorum exegeticorum.

Gen. I, 24. *Anima* dicitur *vivens*, quia proprie nulla

nulla anima eſt mortua: utpote quod eſſet contradictio in adjecto.

Rom. I, 11. Chariſma, quod Paulus Romanis erat impertiturus, vocatur πνευματικὸν, *ſpirituale*, ἐξηγητικῶς, cum omne chariſma proprie ſit ſpirituale.

2. Tim. I, 9. *Vocatio* Dei vocatur *ſancta* pro natura ſua immutabili.

- - II, 9. *Fundamentum* Dei vocatur *firmum*: ubi tamen etiam ſubeſt vis διακριτικὴ, reſpectu habito ad fundamentum mere humanum; Dei tamen fundamentum omne firmum eſt ſine differentia.

Tit. II, 11. *Gratia* Dei dicitur *ſalutaris* pro indole ſua maxime propria.

Exempla epithetotum diacriticorum, quæ ſimul declarandi vim habent.

Pſ LI, 12. David expetit *cor purum*, quia partim natura, partim actu multiplici cor contraxerat impurum, uti habet contextus.

Rom. XII, 1. Hoſtia N. T. dicitur *viva*, *ſancta* & *Deo placens*, ſcilicet in ſe, & ratione cultus, qui ea præſtatur, rationalis, ad differentiam cultus V. T. bruti, in quantum is ſine reſpectu typico conſiderabatur.

Tit. II, 12. Cupiditas dicitur mundana ad differentiam puræ, ſanctæ & cœleſtis; de qua Paulus Phil. I, 23.

Jac. II, 17. 20. Fides vocatur mortua, ad differentiam vivæ ac unice veræ ac proprie dictæ.

Inter-

Interdum conjunguntur utriusque generis epitheta. Sic Rom. XII, 2. *voluntas* Dei vocatur *bona* ἐξηγητικῶς, quia ea nunquam eſt mala; *accepta* vero διακριτικῶς, ad differentiam voluntatis mala permittentis. Vox *perfecta* videtur aliquod utriusque notionis momentum trahere.

Aphorismvs XI.

De diverſo protaſeos & apodoſeos ſchemate.

In ſermone tropico protaſis cum apodoſi rarius ponitur explicite & ſeorſum, ſed plerumque cum iſta ponitur ſenſu complicato, verborum aliis ad protaſin, aliis ad apodoſin referendis; & non raro protaſis ſola ponitur, apodoſi ipſius lectoris judicio relicta, utpote e ſcopo & contextu ſatis obvia.

Exempla protaſeos & apodoſeos complicatæ.

Pſ. I, 3. Homo beatus ac pius, qui verbum Dei pro oblectamento & alimento ſuo ſpirituali habet, dicitur eſſe inſtar arboris ad rivos aquarum plantatæ, frugiferæ & ita comparatæ, ut nec folia eius decidant, & hinc proſpero in omnibus ſucceſſu frui. Hic ab apodoſi ſermo incipit, & in eadem deſinit, reliquis, quæ in medio poſita ſunt, ad protaſin pertinentibus.

Matth. VI, 22. Salvator ait: *Oculus eſt corporis lucerna: ſi igitur oculus tuus eſt ſimplex, totum*

corpus tuum erit lucidum. Si vero oculus tuus eſt malignus, totum corpus tuum erit tenebroſum. Quando autem lux, quæ in te, eſt caligo, quanta non erit ipſa caligo? Hic comparatur primarius hominis & omnium eius actionum ſcopus cum oculo corporis; ſcilicet ſcopum illud eſſe homini in moralibus & ſpiritualibus, quod oculus eſt corpori in naturalibus. Sed elocutio ita eſt implicita, ut verborum alia ad protaſin, alia ad apodoſin pertineant, nec ſine diverſo hoc reſpectu facile poſſint intelligi.

2. Tim. II, 10. *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & teſtacea; & alia quidem ad honorem, alia ad ignominiam.* Hic deeſt apodoſis. Additur quidem ea v. 21. ſed ita, ut, quod in protaſi non fuerat, id ea urgeat, ultra membra protaſeos extenſa, ſcilicet in verbis: *ſi quis ſe repurgaverit ab ejusmodi hominibus* (qui vilioris naturæ & abjectioris uſus vaſis ſimiles ſunt) *ille erit vas ſanctificatum, hero commodum & ad omne opus bonum præparatum.*

Vide protaſin in apodoſi complicatam inter alia etiam Joh. XV, 1. ſeqq. in ſermone Chriſti ſuaviſſimo de ſe, tanquam *vite*, & fidelibus, tanquam *palmitibus.*

Item 1. Cor. IX, 24 ſeqq. & Phil. III, 12. 13. 14. in quo poſteriori loco ſermo ita refertur ad apodoſin, ſeu ad applicationem ſpiritualem, quemadmodum id ferebat protaſis, ſeu ſimilitudinis in ea latentis ratio.

Not. 1. Interdum etiam unica locutio continet ea,

ea, quæ partim ad protaſin, partim ad apodoſin pertinet, v. g.

Pſ. LI, 8. *Expia me hyſſopo & purus ero, ablue me, & ero nive candidior.* Hic protaſis, a more expiationis & mundationis Levitico deſumta, ſtatim refertur ad explicationem myſticam ſine ulla unius ab altera diſtinctione, ſeu diſtincta elocutione.

2. Exempla protaſeos & apodoſeos explicitæ & ſeorſum poſitæ inter alia vide Jeſ. V, 1. ſeqq. de vinea, ubi tamen apodoſis protaſi multo eſt conciſior.

Exempla protaſeos ſolitariæ, apodoſi lectori relicta & e contextu facile obvia.

Matth. III, 10. *Securis arborum radici jam admota eſt. Itaque arbor omnis, fructum bonum non ferens, excidenda eſt & in ignem projicienda.*

Item v. 12. *Deus in manu ſuum habens ventilabrum aream ſuam expurgabit, frumentumque ſuum comportabit in horreum, paleam autem igne cremabit inexſtincto.*

Matth. VII, 16. ſeqq. *Num ex ſpinis uva colligitur, aut ex tribulis ficus? Ita omnis arbor bona fructus bonos edit; tetra vero arbor fructus malos edit. Non poteſt arbor bona fructus malos ferre, nec arbor tetra fructus bonos ferre. Omnis arbor fructum bonum non ferens exſcinditur & in ignem conjicitur.* Hic deeſt apodoſis, inſinuatur tamen non ſolum integro contextu, ſed iſtis etiam ver-

bis, quæ protaſi præmittuntur & ſubjunguntur: *ex fructibus ſuis cognoſcetis ipſos.*

Huc inprimis pertinent illæ ſimilitudines, quas Salvator Matth. XIII. de ſtatu & proprietate regni Dei proponit, & quidem ex parte ſine apodoſi expreſſa, ſed ea tantum inſinuata per verba: *regnum cœlorum ſimile eſt* v. g. *grano ſinapi*, v. 31. 32. *fermento*, v. 33 *theſauro occulto*, v. 44. *mercatori*, *margaritas quærenti.* In reliquis vero apodoſis ſatis explicite adeſt.

Not. 1. Quandoquidem in omni *metaphora* contracta eſt ſimilitudo, hæc ab interprete eſt evolvenda. Et cum vocibus ac locutionibus metaphoricis in ſacro codice nihil ſit frequentius, ſimilitudines eidem hac ratione innatæ fere ſunt innumeræ & omnium optimæ, certe ad rem ſubſtratam aptiſſimæ.

2. Interdum in eadem locutione *duplex* latet *ſimilitudo*, ita ut utraque ſeorſum ſit explicanda, v. g. in verbis Pauli 2. Tim. II, 26. *mentem recipere ſobriam e diaboli laqueis, a quo quis captus tenetur.* Ubi peccatum comparatur cum potu inebriante & cum hominis captivati laqueis.

3. In ſimilitudine complicata ea, quæ ad protaſin & apodoſin pertinent, ſapienter ſunt diſcernenda & ſingula pro natura ſua conſideranda.

4. Quando apodoſis plane abeſt, ea ab interprete addenda eſt, & ita quidem, ne comparationis membra nimis extendat, ſed circa analogiam manifeſtam ſubſiſtat.

5. Fun-

5. Fundamentum vero omnis analogiæ eſt in eo, quod Deus non minus eſt dominus & conditor regni naturæ, quam gratiæ, & in operibus ſuis ſibi in utroque quam optime conſtat.

6. Hæc hactenus de *textu* ipſo & variis ejusdem momentis in ſe conſiderandis. Reſtant nonnulla alia, quæ ipſius illuſtrationi egregie ſubſerviunt.

APHORISMVS XII.

De connexione & contextu.

Præter textum hucusque conſideratum diligenti connectendi ſtudio confer contextum, ſeu ea, quæ textum antecedunt & ſequuntur, & quidem non proxime tantum, ſed etiam remote.

Illuſtratio.

Gen. XV, 6. *Abrahamus* dicitur *Deo credidiſſe & hoc ipſi imputatum eſſe ad juſtitiam.* Quod ſi hic contextum conferamus, eumque remotiorem, inde a fine capitis undecimi & initio decimi tertii repetendum, deprehendimus, ſermonem hic eſſe non de primo fidei ac juſtificationis actu, ſed de uberiori eius incremento. Et ad textum proxime antecedentem ac conſequentem quod attinet, is non ſolum illuſtrat locum v. 6. ſed ex eo etiam ita illuſtratur, ut inde adpareat, ſenſum in contextu integro ſub imagine ſeminis naturalis & terræ promiſſæ primario referri ad Meſſiam & bona regni ipſius ſpiritualis.

Pſ. I, 6. Quis *juſtus* hic ſit, & quænam eius via a Deo ita probata, ut eam ſecundet, non rectius intelligitur, quam ex integro contextu antecedenti, in quo eius indoles egregia pluribus delineata eſt.

Jeſ. LXIII, 3. Hic *Meſſias* dicitur *ſolus torcular calcare &c.* Qui locus vulgo intelligitur de officio Chriſti ſacerdotali & in eo de ipſius perpeſſionibus: at ſecundum contextum ac paralleliſmum apocalypticum c. 19. conſideratus, manifeſte deprehenditur agere de *officio ejus regio*, & ſpeciatim de judicio in hoſtes eccleſiæ antichriſtianos ultimo.

C. LXIV, 6. *Hic Judæorum confeſſio hæc eſt: Omnes ut immundi ſumus, noſtræque virtutes omnes ſunt menſtruato panno ſimiles.* Qui locus quidem explicari ſolet de ſtatu regenitorum, in quo, reſpectu peccati originalis multæ imperfectiones remaneant; at contextus indicat, ſermonem iſtum eſſe hominum antea Epicureorum, ſed tunc ad genuinum pœnitentiæ ſenſum adductorum.

Rom. III, 19. Quid hic ſit *omne os* & *univerſus mundus*, oſtenditur v. 9. ubi *Judæis* junguntur *Græci*, ſenſu latiſſimo ſic dicti: conf. c. I, 14. Quid vero v. 19. porro ſit, *os deſtrui*, *& obnoxium fieri judicio*, itidem ex antecedentibus intelligitur; quandoquidem inde a v. 9. immo a capitis initio, & in ipſis etiam duobus prioribus capitibus Judæi & gentiles omnes, omni gloriandi materia exuta,

in

in reatu ſuo ingenti coram Dei tribunali ſiſtuntur. Et cum, quod in antecedentibus prolixius dictum erat, commate 19. breviſſimis, at ſimul graviſſimis dicatur verbis, non immerito hoc ipſum commata dicitur ea declarare. Quod ſi vero hunc ipſum locum conferas cum conſequentibus, manifeſtum eſt, eo deſcribi hominem juſtificandum, & ex eo ſimul illuſtrari in illis juſtificationis actum & ſenſum, ſcilicet tanquam forenſem, cum ὑπόδικος proprie notet reum judicio obnoxium.

Rom. VIII, 39. *Nulla nos creatura poteſt disjungere a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Hic Paulo ſermonem eſſe de *caritate* Dei *paſſiva*, qua nos amamur, præter locutionem, *quæ eſt in Chriſto*, patet ex antecedentibus, ſpeciatim v. 37. Et hæc ipſa dicitur c. V, 5. in *cordibus noſtris eſſe diffuſa per Spiritum ſanctum.*

1. Cor. II, 9. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis venerunt, quæ Deus paravit timentibus ipſum.* Hæc verba non de regno gloriæ hic intelligi, ſed de regno gratiæ, contextus integer, cum antecedens, tum conſequens oſtendit.

2. Cor. XII, 5. Paulus non niſi in *infirmitatibus ſuis vult gloriari*, h.e. bono eſſe animo. Quales vero intelligat infirmitates, indicat integer contextus uterque, tum qui præcedit, & quidem remotus c. XI, 23. ſeqq. inprimis v. 30. tum qui ſequitur c. XII, 9. 10. ſcilicet varia afflictionum genera, quibus homo externus magis magisque enervatur.

1. Tim. V, 8. *Qui ſuis, maxime domeſticis ſuis, non proſpicit, fidem abnegavit & infideli eſt deterior.* Sermo hic eſt, non de cura parentum pro liberis, ſed liberorum pro parentibus, ſeu matribus ac aviis, in viduatu conſtitutis: quemadmodum ex integro contextu liquet.

2. Tim. I, 13. Hic Paulus Timotheo commendat *hypotypoſin ſalubrium verborum in fide & caritate.* Quod ſi conferamus ea, quæ proxime antecedunt & ſequuntur, videmus, hypotypoſin egregie declarari per παραθήκην & παρα καταθήκην, per *depoſitum*, per inhabitantem Dei Spiritum fideliter adſervandum.

C. IV, 6. 7. *Ego jam in libamen offeror, & tempus meæ diſſolutionis inſtat* &c. Ex hiſce Pauli verbis per ſe conſideratis aliquis facile colligeret, ipſum, cum hanc epiſtolam ſcriberet, morti jam fuiſſe proximum, ita ut ab ea vix per aliquot dierum, aut hebdomadum intervallum abfuerit. At ſi in conſequentibus v. 9. & 21. conſideres, Timothei, qui in Aſia degebat, adventum a Paulo adhuc fuiſſe exſpectatum, eumque ab illo Romam arceſſi, manifeſtum eſt, Apoſtolum non intelexiſſe vitæ terminum adeo vicinum, uti iſta verba extra contextum conſiderata indicare videntur.

Not. Hæc hactenus de ipſo contextu, curatiori ſtudio in ſubſidium ad interpretationem adhibendo. Ad eundem pertinet *conſideratio* συναφείας ſeu *connexionis;* utpote quæ, quomodo ſingula cohæreant, ita oſtendit, ut inde rebus aut verbis obſcu-

obſcurioribus ac difficilioribus non raro aliquid lucis affundatur. Ubi vero connectendi particulæ deſunt, nexus in rebus ipſis facile adparet, niſi pro eo adſit digreſſio, aut tranſitio ad materiam plane aliam: quæ tamen & ipſa nexu ſuo generaliore non eſt deſtituta.

APHORISMVS XIII.

De paralleliſmis.

Nec parum lucis cuilibet textui, præcipue obſcuriori & difficiliori, adfert paralleliſmus, ſive in rebus tantum ipſis, ſive ſimul in verbis etiam talis, una cum conſideratione ſynonymiæ ſacræ.

Illuſtratio.

Quandoquidem quilibet optimus eſt ſui ipſius interpres, ſcriptura autem ſacra unius & eiusdem auctoris, Dei, qui in omnibus ſibi quam optime conſtat, & electa organa ſua eodem inſtruxit rexitque ſpiritu; facile liquet, genuinum & quam certiſſimum hunc eſſe interpretandi modum, qui per ipſam ſcripturam ſacram ita fit, ut, quod hic dictum eſt brevius, aut obſcurius, ex alio loco & clariori & pleniori declaretur.

Gen. III, 1. & ſqq. Satanam metaphorice vocari *ſerpentem*, ſine reſpectu ad ſerpentem naturalem pro organo adhibitum, quam rectiſſime e locis paralleliſ, ubi eadem eſt ſatanæ denominatio, agnoſcitur, ſcilicet 2. Cor. XI, 3. Apoc. XII, 9. c. XX, 2. conf. Matth. III, 7.

Sic *protevangelium* Gen. III, 15. promulgatum quid in receſſu habeat, evidentius cognoſcitur e promiſſionibus, quæ Patriarchis factæ & identidem repetitæ ſunt de ſemine, benedictionem in omnes gentes diffuſuro. Extant quidem in Moſe ſatis luculentæ promiſſiones de Judaicæ gentis converſione, ultimis Meſſiæ temporibus futura: utrum vero ad priora & jamdudum præterlapſa Meſſiæ tempora debeant referri, aut ad poſtrema pertineant, id tum demum recte cognoſcitur, quando frequentiſſimus prophetarum paralleliſmus in ſubſidium adhibetur.

Rom. VIII. *Gementis creaturæ* renovationem phyſice eſſe intelligendam de hoc univerſo & ejus immutatione, loca indicant parallela, inprimis illa 2. Petr. III, 10. ſeqq. Apoc. XXII, 1.

1. Cor. XV, 51. Fit mentio *tubæ ultimæ*, qua continget reſurrectio mortuorum cum immutatione eorum, quos adventus Chriſti adhuc vivos deprehendet. Quid vero per tubam ultimam intelligatur, non niſi ex Apocalypſi recte intelligitur, nimirum e cap. X, 7. c. XI, 15.

Not. 1. Paralleliſmus, inprimis realis, etiam ea loca, quæ nec obſcura ſunt, nec difficilia ratione emphaſeos illuſtrat, v. g.

Quod Rom. V, 2. dicitur, *nos ad Chriſtum habere acceſſum ad gratiam Dei in fide*, id cap. VIII, 15. egregie declaratur per *ſpiritum Chriſti*, ſpiritum ὑποθεσίας, per *quem Patrem adimus*. Identidem ingeminantes *evangelicum* illud: *abba! pater!*

Et

Et cui in loci istius consideratione ad uberiorem eius illustrationem non statim in mentem veniunt inter plura alia inprimis illa Matth. XI, 28. *Venite ad me omnes, quotquot laboratis & defatigati estis, ego refocillabo vos!* Et Joh. XIV, 6. *Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Conf. Hebr. V, 15. 16. c. VII, 25. c. X, 22.

Quod Rom. VIII, 23. notatur per *primitias spiritus*; id Hebr. VI, 4. 5. declaratur significantissimis verbis a prægustu desumtis.

Quod Apostolo ibidem est *redemtio corporis nostri*, id Phil. III, 21. egregie declaratum deprehendimus per eiusmodi corporis nostri *μεταχηματισμὸν*, quo istud ipsi glorioso corpori Christi futurum est conforme. Et de isto is agit ex instituto 1. Cor. XV. ubi corporis redemtio & glorificatio refertur ad resurrectionem e morte, variis modis illustratam.

2. Parallelismus verbalis id etiam præstat alicui dogmati & certo eius momento, ut de eiusdem sensu eo certiores reddamur.

Sic vocem *redemtionis* Rom. VIII, 23. adhiberi de redemtionis proprie dictæ fructu, seu de liberatione, confirmatur e locis eiusdem sensus Luc. XXI, 28. Eph. IV, 30. conf. c. I, 14.

Christum Joh. I, 1. vocari *Deum* justa cum emphasi, inter alia inprimis e locis parallelis, quæ in tractatione thetica urgeri solent, abunde constat.

3. Non raro autem loca, quæ verbis aliquot conveniunt, ipso sensu discrepant; siquidem verba ea-

eadem ſæpe e ſubſtrata materia ſenſum induunt diverſum: quemadmodum ea, quæ per ſe verbis admodum ſunt diverſa, ſæpe ſenſu conveniunt.

4. Sæpe conveniunt verbis in verſione, quæ tamen in fonte diſcrepant, & quidem non ſolum verbis, ſed etiam re ipſa: quemadmodum e contrario, quæ in fonte conveniunt, verſio non raro diverſis verbis expreſſit.

5. Loca parallela codici diverſarum editionum ſacro adſcripta ſæpe deprehenduntur verbis potius, quam ipſa re & ſenſu textus convenire. Quare iſta loca ſine diſcrimine pro parallelis haberi non poſſunt.

6. Optima eſt illa parallelíſmi notitia, quam interpres non tam ex adſcripta iſta notatione, nec e concordantiis, quæ vocantur, quam e frequenti lectione & meditatione ſibi ipſi acquirit. Cui deinceps ſubſidia alia facile ſubſerviunt.

7. Propria lectio, per frequentem & accuratiorem meditationem probe digeſta, id etiam emolumenti hermeneutici acquirit, quod in ſynonymiæ biblicæ notitia poſitum eſt: hæc vero non ſolum in exegetica, ſed etiam in thetica textus tractatione uſum præſtat inſignem.

APHORISMVS XIV.

De electione ſenſus in textu dubio.

In dictis, quæ pro noſtro cognoſcendi modulo obſcuriora, aut difficiliora

liora, vel ambigua ſunt, ita ut ſenſus diverſos admittere videantur, is eligendus eſt, qui rei ipſi, ſecundum textum, contextum, ſcopum, paralleliſmum locorum faciliorum, nec non ſecundum analogiam fidei conſideratæ eſt convenientiſſimus.

Illuſtratio.

Fundamentum huius aphoriſmi eſt in *unitate ſenſus* a Spiritu ſancto intenti, quemadmodum ſupra tradit aphoriſmus inter generaliores tertius. Et cum de textu ipſo, eiusque contextu, ſcopo & paralleliſmo jam dictum ſit, de *analogia fidei* adhuc ſequentia ſunt notanda:

1. Analogia fidei eſt is doctrinarum chriſtianæ religionis nexus & concentus, quo ſingulæ inter ſe quam arctiſſime cohærent & ſyſtema conſtituunt integrum.

2. Vera fidei analogia non obtinetur, niſi longiori meditationis, eiusque practicæ, ſeu cum ipſa rerum ſpiritualium experientia conjunctæ, exercitio, quo dogmata ſingula inter ſe recte conferantur eo cum fructu dogmatico, ut inde appareat, quam ſingula habeant firmitatem ac neceſſitatem, cum in ſe ipſis, tum reſpectu reliquorum omnium, quibuscum aut proxime aut remotius cohærent. Inexercitatis mea *Salutis Oeconomia* hac in parte uſum aliquem exhibebit.

3. Sedulo autem cavendum est, ne quod anticipatarum opinionum systema, nisi ex toto, tamen ex parte falsum & male cohærens pro genuina fidei analogia habeamus, & hac ratione sensum scripturæ non eruamus, sed inferamus, adhibito equuleo hermeneutico; qui omnibus corrupti systematis architectis, aut assectis proprius est, inprimis Socinianis.

4. Inprimis fidei analogia prohibet, quominus in dictis obscurioribus, immo etiam in faciliioribus, quidquam admittamus, quod pugnat cum genuina de Deo doctrina & idea, quam ipso naturæ lumine præeunte nobis alias scriptura sacra exhibet.

5. Ut, quod analogia fidei præstet, exemplis aliquot illustretur, en sequentia!

Deus Exod. IV. & seqq. aliquoties dicitur *Pharaonem induraſſe*. Hoc vero non de caussa efficiente, ad voluntatem Dei antecedentem relata, sed de permissione Dei judiciaria, quæ voluntatis est, culpam hominis consequentis, intelligendum esse, præter contextum, in quo ipsi Pharaoni plus decies tribuitur obduratio, inprimis requirit analogia fidei, & in ea speciatim doctrina de Deo; utpote cum qua obduratio, tanquam effectus ipsius Dei proprius, nullo modo consistere potest.

Sic quando Rom. II, 16. dicitur: *Quare ſalus non eſt volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei*, analogia fidei, quæ in ordine salutis voluntatem

seu

ſeu ſtudium & curſum noſtrum omnino requirit, facile indicat, ſermonem hic eſſe de ſtudio & curſu inordinato & præpoſtero. Qualis erat plurimorum inter Judæos. Quem ſenſum etiam contextus inſinuat una cùm locis parallelis, inprimis eo Luc. XIII, 24.

Item ſub initium capitis, quando Paulus optavit, ut pro Judæis fieret *anathema*, analogia fidei, & in ea ſpeciatim bene ordinatus amor noſtri, obſtat, quominus id intelligatur de voto, pro Judæorum ſalute ad propriæ ſalutis jacturam extenſo: iſto autem ſenſu ſic reprobato merito admittitur is de morte violenta, quam, ſi ea Judæorum adverſus ipſum & ſimul adverſus evangelium Chriſti inflammatus furor leniri, immo demi poſſet, Paulus adeo non detrectavit, ut potius Deo ita permittente exoptaverit, hac ratione evangelii cauſſa aliquod quaſi *περικάθαρμα* & *περίψημα* fieri ſecundum 1. Cor. IV, 13.

Obſervatio generalis.

Hi de *ſenſu litterali* eruendo dati aphoriſmi ea etiam ex parte continent, quæ ad iſtius *emphaſin* pertinent: quemadmodum aphoriſmi nunc ſectione poſteriori de *emphaſiologia* ſecuturi etiam *ſenſum litteralem* mirifice illuſtrant, hermeneutica inter ipſos harmonia ſic intercedente.

SECT.